


05
A
1342





12

7. 7.

DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM

Exercitatio 1.

De

MUNDO,

Quam

DEO JUVANTE

PRÆSIDE

M. HIERONIMO VV EIXELBERGERO

VVelfensi Austriaco, Amplissimæ Facultat.

Philosophicæ in Electorali VVitteb.

Academia Adjuncto

Examinandam proponit ad d.

4. Decembr.

DANIEL VVASSERFHURER

Stetin. Pomeranus.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVI.



DISCUSSIONS IN THE HISTORY OF

SCIENCE

MILNOR



REVUE A 50

DANIEL VASSEROTIERER

Typographische Anstalt



PRÆLOQUIUM.

Huc huc adsis Epicure, accede Timon, appropinqua
 Euclio, accelera Nero. Heus vos omnes vocamus, qui
 nil nisi mundum mundanaq; spiratis, speratis. En
 aspiciate hoc theatrum. Certe, certe te deseret Epicu-
 re impietas, te Timon invidia, te Avaritia Euclio, savitia te
 Nero linguet: Adsitis terra filij, vos omnes fugiet voluptas.
 Adeste vos & Luna labores cernite, solis suspicite splendores,
 vastissimorum istorum corporum in vastissimo corpore exactis-
 simam aequabilissimi motus observantiam, & sapientissimum
 tuum Creatorem ex creaturis illis colliges, collectum coles, cul-
 tum unice desiderabis, amabis. Adspice, quæso, aeris ignisq;
 constantissimam constantiam, intuere aque & terra fidelita-
 tem, quam factori suo prestant, & machinam hanc ex fortui-
 to atomorum cursu constatam esse, sat scio inficiaberis. Respi-
 ce non dico cetera omnia corpora naturalia mixta, sed te i-
 psum, ὁ μὴ γόνος οὐε, duntaxat respice & inspice & qualis olim
 fueris quis jam sis aut esse debeas, cognosces. Agite itaq; ὁ mei,
 elevate oculos, splendidissimum hoc sapientissimi Dei adifici-
 um & palatium in timore Domini mecum perlustrate & qui-
 bus peristylijs aut fulcris innitatur circumspicite, in itinẽ à cœ-
 li & Elementorũ theoria, divinã suffulti gratiã, sumentes.

QUÆSTIO I.

Quid sit Mundus?

Πρὸς τὸ ὄργῳς διδάσκειν δὲ πῶς ἐξ ἐπιζῆν τὰ ὀνόματα, inquit
 ille nunquam satis laudatus dictator 1. Post. Anal. c. 1. hoc est à nomi-
 nibus

nibus auspicandum est. Ex nominis enim interpretatione facilius ratio rei nota
 fit & ad definitionem deducimur. Hinc Plato dixit comparanda scientia duos
 esse gradus ὄνομα καὶ λόγος. Et Galen. l. 1. de Method. c. 5. inquit: Prin-
 cipium in omni disputatione & re est nomen. De nomine igitur Mundi
 ante omnia aliquid dicendum est. Mundus tam Græcis quam
 Latinis à pulchritudine sua & ornatu dicitur propter summam o-
 mnium rerum ἁρμόζον. Duobus autem modis mundi vocabu-
 lum accipi solet: Propriè & Impropiè. Impropiè 1. vel pro mundo
 Arche tyo seu intelligibili, quem definit D. Augustin. in Retract. c. 3.
 rationem sempiternam & incommutabilem qua fecit Deus mun-
 dum. 2. Vel pro mundo Angelico qui ex triplici Angelorum
 Hierarchiâ constat. 3. Vel pro parvo mundo scilicet homine
 8. Phys. 2, t. 18. Vel deniq; sumitur pro ἀταξία & subita omnium
 rerum perturbatione ex lapsu parentum contractâ ut 1. Joh. 2, 16.
 & 5, 19. Propriè sumitur pro ipsis rebus creatis quibus tota hæc ma-
 china constat, & vocatur aliàs mundus magnus seu universum, &
 hæc acceptio huius loci est propria. Ut autem Mundi variaz sunt
 significationes, ita variaz etiam ejus circumferuntur seu definitio-
 nes seu descriptiones, quas collegit Fr. Piccol l. de Mundo c. 2. Autor
 libelli de mundo duas ponit definitiones l. 1. de Mundo c. 2. Prior talis
 est: κόσμος ὅτι σύστημα ἐξ ἄστρον ἢ γῆς ἢ τῶν ἐν τῆτοις περιεχομέ-
 νων φύσεων. Altera κόσμος ὅτι τῶν ὅλων τάξις τε ἢ διακόσμησις
 ὑπὸ θεῶ τε ἢ ἀφ' θεῶν φυλαττομένη. Mundus est ordinata compages ex celo
 terra & reliquis naturis qua in his continentur coagmentata. Cū n. omnis
 accidentalis definitio ex essentiali & causali cōponi debeat, ideo A-
 ristoteles primò essentialē ponit, deinde causalē. Nā cum dicit τῶν
 ὅλων, materiā seu partes indicat: cū dicit τάξις τε ἢ διακόσμησις
 formam denotat, cum inquit ὑπὸ θεῶ ἀφ' θεῶν φυλαττομένη causam
 efficientem ostendit: deniq; causam finalem notat, cum dicit, καὶ
 ἀφ' θεῶν ἀφ' φυλαττομένη. Mundus enim formaliter in categoria
 Qualitatis est in quartâ specie, unde liquet verum ipsi assignatum
 genus esse, ordinata compages, ex eadem categoriâ desumptū.
 Exprimitur eo ipso Mundi, formā, quā in accidentium definitio-
 nibus vera genera petuntur. Corpus enim artificiale, quale est
 mundus, pro formā non habet substantiam aliquam sed semper
 accidens non tamen purum, sed potius causa essentialis per quam
 est id quod est.

Uc

Ut autem hæc omnia rectius intelligantur, causæ ejus con- siderandæ veniunt. *Efficiens causa est Deus Opt. Max. Gen. 1. Unde D. Augustinus serm. 55. de verbis Dei scribit quod Ethnici Philosophi præferente facè illis natura, creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricato- rem mundi per mundum cognoverint. Cui ipse Iobus etiam c. 12. v. 7. subscribit.*

Materia mundi constituti sunt omnia corpora naturalia sensibi- lia: mundi vero constituendi est nihilum videlicet ut est terminus, non ut est materia monente Scal. Ex. 6. s. 13. Confer Clar. Dn. Iacob. Martini Disp. 12. Coll. Phys. spec. th. 4.

Forma mundi est vel Essentialis vel accidentalis. Forma accidenta- lis est rotunditas Essentialis autem quænam sit variè disputatur. Quidam enim Mundi formam Deum asserunt, alij animam toti u- niverso communem, alij cælum: alij figuram ejus alij ordinem. Inter has tamen opiniones duæ celebriores sunt. Vna, quæ ani- mam quandam Mundo pro forma tribuit: altera quæ ordinem mundi formam esse statuit. Illam quod attinet, meritò repudia- mus. Nam nulla conspicuè in toto mundo apparet actio, quæ pro- ficiscatur à peculiari aliqua totius mundi anima: sed omnes ope- rationes peculiaribus & distinctis formis debentur. Dicimus ita- que Mundum unum esse unitate ordinis eorum quæ ab uno ducta principio in eundem unum tanquam in finem proprium deducta conveniunt, & inter se & in illo, propterea, quod ab uno omnia & ad unum omnia Scal. ex. 6. s. 2. Forma itaq; mundi est ordo seu ordi- nata series corporum naturalium. Per ordinem vero intelligimus hîc non ordi- nem ordinantem, qui est accidens & mutua ratio partium inter se; sed ordi- natum qui nihil est nisi res ipsæ aptæ dispositæ, & talis est mundus. Finis de- niq; mundi principalis est Dei gloria: minus principalis commoditas & usus hominum.

II. QUÆSTIO.

An Mundus sit ex nihilo conditus?

Quæstionem hanc Calviniani non modo in dubium voca- re sed diserrè negare non erubescunt. Illorum vero sententiam ut absurdâ ita & plane falsam esse rationes sequentes certò demon- strant.

Grant. 1. Ratio nititur Testimonijs Scripturae. Nam Gen. 1. & Psal. 33, v. 9 omnia dicuntur verbo Dei creata. Ubi significatur sola Verbi virtute absq; aliqua præcedente materia creationem factam esse. Deinde Rom. 4, v. 17. legitur Deum vocare *τὸν ὄντα ὡς ὄντα*, h. e. à non esse ad verum esse res producere Heb. 11, vers. 3. Fide intelligimus aptata esse secula ut ex invisibilibus visibilia fierent His addi possunt & illa Prov. 8, v. 24. 2. Macc. 7, v. 28. Ubi in hoc ultimo præsertim manifestè legitur quod ex non existentibus, h. e. ex nihilo illa fecerit Deus. Ex quibus falsissimam eorum esse sententiam, qui contrarium defendunt, concluditur. 2. **Hypothesi Mosaica.** Deum in principio creasse mundum, hoc evidenter evincitur. Si enim ex præcedente aliqua materia conditus fuisset mundus, sequeretur quod non in principio sed post principium cum ex priore quodam sit creatus. 3. His accedit **creationis definitio** quod sit **productio rei secundum totam substantiam nullo præsupposito vel contrario vel materia.** Unde mundum ex nihilo productum esse quia creatus est, rectè concluditur. 4. Imò evincit id ipsum ipsius Dei potentia. Quodcumque enim non potest natura id potest Deus: Atqui Natura non potest ex Non Ente negativo Ens producere. Ergò, Deus potest. Hinc Scal. ex 365. ait quod *Dei omnipotentia etiam in non Ens agere possit.* Concludimus itaq; totum hoc universum ex nihilo à Deo Opt. Max. esse productum perfectè quoad substantiam, cui postmodum elaboratio tantum & separatio accessit, accidentalisq; perfectio cujus respectu ab alijs nominatur materia informis. Vide Magnum illum Theolog. Dn. D. Erasmodum Marbachium super Gen. mibi p 7 Timpleri deniq; nugæ dudum à CL. Dn. D. Meisnero profligatae sunt, parte 1. Sob. Ph. f. 779.

QUÆSTIO III.

Quo anni tempore mundus sit conditus?

Quidam inconsideratius de temate hoc differentes, mundi initio vernum, quidam æstivum, quidam autumnale tempus assignant. Meo tamen iudicio arbitror nihil præcisè vel affirmari vel negari posse, nisi cerram terræ partem assumamus & quærimus an respectu illius regionis productus fuerit mundus in vere an in æstate vel autumno. Morus enim cœli solis & stellarum quatuor illas temporum vicissitudines efficiunt, Unde sic argumentamur.

Vbi-

Vbicunq; varius circa distinctas terra partes est motus solis, ibi quoq; va-
rius effectus: Atqui motus solis circa distinctas terra partes fuit varius: Ergo
quoq; varius effectus, & per Conseq. ubiq; autumnus vel ver non fuit. Major
verissima, quia varietas motus est causa variorum effectuum.
Minor itidem. Nullum itaq; absurdum quando dicis mundum
in autumno esse conditum respectu Palestinae.

Verisimile enim est Moysen descripsisse haec omnia respectu
Palestinae, tum quia loquebatur cum Judaeis qui in terram Pale-
stinam ducebantur; tum quia DEUS videtur illius terrae pe-
culiarem habuisse rationem, cum eam voluerit esse sedem Pro-
phetarum, domicilium Synagogae, patriam Messiae, testem omni-
um Christi miraculorum. Consule etiam Martinum Becanum Je-
suitam Viennensem part. 1. Theol. Scholast. p. 401.

IV. QUÆSTIO.

*An creatio Mundi in Tempore rationibus Phi-
losophicis certò demonstrari possit?*

Pro origine mundi rationes multae à quibusdam ex Philo-
sophia colliguntur, quibus probare volunt mundum in tempore
cœpisse. Verum rationes hæc Apodicticæ & sufficientes non sunt
sed saltem probabiles quibus Aristoteles, qui contrariam senten-
tiam, quod nimirum mundus sit æternus, defendit, non cederet.
Philosophia enim probabiliter quidem scit mundum in tempore
cœpisse, nulla autem argumenta, quæ creationem Apodicticè e-
vincerent, excogitari possunt; siquidem *Creatio mundi non est subje-
ctum ἴσθητόν, i. e. scibile sed πιστόν credible & in scriptura revelatur, non ex
natura demonstratur, adeoq; non intelligendo creditur sed credendo intelli-
gitur.* Demonstratur hoc ex sententia Apostoli Ebr. II, v. 3. *πιστὸς ὁ ὄ-
μιλος τῆς τρίτης τῆς αἰῶνος ῥήματι θεοῦ εἰς τὸ μὴ ἔκ φαινομένων τὰ
βλεπόμενα γεγονέναι.* Quare si articulus fidei est, primariò non co-
gnoscitur aut demonstratur ex ratione. Licet enim secundariò &
probabiliter, postquam ex Scriptura notificatus, illum à posteri-
ori declarare & confirmare non amplius difficile sit, attamen à
priori cognosci & per principia Philosophica infallibiliter de-
mon-

monstrari nequit. Rationes quibus circa hanc quæstionem extre-
mæ sententiæ probantur, legantur apud Exc. Dn. D. Meisnerum 1. part.
Phil. Sob. sect. 3. p. 761.

V. QUÆSTIO.

*An DEUS naturæ necessitate mundum creave-
rit: Et an aliquid à Deo ex eternitate pro-
creari potuerit?*

Ex naturæ necessitate agere, nihil aliud est quam ita agere
ut non possis non agere. Hoc, uti D. D. *Contimb. 8. Phoyf. c. 2 q. 5.* te-
stantur, bifariam contingit. 1. Quando agens solo naturæ impetu
citra omnem intellectus & voluntatis actum in rem fertur, ut
quando ignis calefacit. 2. Quando intellectus licet per volunta-
tem agat: tamen ita agit, ut actionem illam suspendere aut inhi-
bere nequitquam valeat. Qui priori modo Deum ex naturæ necessi-
tate agere dicit, graviter hallucinatur, cum intellectus & volun-
tas divino numini ab omnibus attribuatur. De posteriori non om-
nes idem sentiunt. Alij enim necessariò alij liberrimè à Deo
mundum esse conditum statuunt. Nos posterioris sententiæ pa-
trocinium suscipimus freti his rationibus. 1. Si propriâ & libe-
râ voluntate mundum non creasset, utiq; ab alio vel infinito
vel finito ductus & coactus: At neq; à finito, quia finitum non-
dum erat, quod autem non est, ejus nullæ sunt causæ: E. neq; o-
peratio. Neq; infinito, quia duo infinita nequeunt esse vel in na-
turâ vel extra naturam, essent enim duo principia *Scal. Ex. 359 s. 3.*
Nullius igitur vel finiti vel infiniti necessitate mundus est con-
ditus. 2. Accedit quod omnis perfectio, quæ tribuitur creaturis,
Deo secundum excellentiam quandam & superiorem gradum
competat. Jam vero liberum arbitrium maxima in creaturis per-
fectio est. E. multò magis Deus liberrimum agens erit, & per-
consequens sequetur, DEUM nihil ex necessitate egisse sed
mundum liberrimè creasse. Nunc Argumenta quibus alij con-
trariam partem defendunt, examinabimus. 1. est Quia, si Deus non ex
naturæ necessitate ageret, contingenter ageret atq; mutabilis esset quod de
Deo

DEO ut actus purissimus affirmari nequit. 2. Quia actio interior, qua DEUS
perficere quæpiam vult perfectio ipsius est, & abesse ab illo non potest, igitur
natura necessitate illum agere oportet. Respondemus ad 1. ibi fieri in-
sufficientem enumerationem, quia tertium datur nempe libe-
rum arbitrium, quod medium est inter contingentiam & ne-
cessitatem. Ad 2. Respondetur Actum internum considerari du-
pliciter. 1. In se ut absolutum quid est & perfectio in DEO. 2. Respective
ad creaturas. sic nec perfectio, nec imperfectio est, sed DEO
ex libertate convenit. Hoc igitur posteriori modo DEO ines-
se vel abesse potest. Alterum etiam *Summa* affirmando deci-
dimus cum D. Thoma. part. 1. q. 46. art. 2. & 2. contra gentes c. 46. Du-
rando, O. bano, Hervæo. & aliis. Quicquid enim non involvit
contradictionem, potuit à DEO fieri: Atqui ab æterno aliquid
creari non involvit contradictionem. Ergo. Minor patet, quia
neque ex parte DEI creatis est re pugnancia, non enim minor
est DEI virtus ad creandum, quam solis ad illuminandum; ac
si ex æternitate sol esset etiam illuminasset; neque ex parte rei
creandæ neque creationis etiam aliquid obstat, ut fuse mon-
strat Colleg. Conimb. 8. Phys. c. 2. q. 6. art. 2. Ergo.

QUAESTIO VI.

An mundus sit æternus?

Aristoteles 8. Phys. & maxime in ultimis capitibus l. 1. de celo,
affirmativam tueretur & rationibus defendere conatur. Hunc se-
cuti sunt Proclus Simplicius Avicenna & Averroes. Alij mundum crea-
tum quidem esse sed nunquam interiturum statuerunt, quæ fu-
it opinio veterum Poetarum. Etsi autem nemo sit, qui verbo
divino edoctus, his sententijs calculum adjiciat, uberioris tamen
cognitionis gratia Philosophicas, quibus mundum non ab æ-
terno sed aliquando cœpisse firmissimè probatur, rationes hoc
loco apponemus. 1. Quia esse cœpit, siquidem sui causam effi-
cientem habet. 2. Quia est opus quod DEUS extra se fecit. O-
pus autem tale ab æterno nullum est. 3. Probatur id etiam in-
ductione omnium partium mundi, quæ cum æternæ non sint
B sequi-

sequitur neq; universum mundum esse æternum. Prius verum est. Partes enim ejus sunt duplices: quedam natura sua corruptibiles, quarum species propagatione & individuorum, quæ finita sunt, successione conservantur: quedam sunt incorruptibiles vel constantes nempe cœlestia corpora quæ itidem æterna non sunt. Si enim temporis instrumenta sunt, tempus autem sempiternum non sit, nec illa quoq; æterna erunt. Cum igitur mundi partes tam constantes quàm corruptibiles æternæ non sint nec mundum æternum esse sed aliquando cœpisse rectè concluditur. 4. Mundus est compositus: compositum autem præsupponit componentem. E; non est æternus. 5. Si mundus esset æternus darentur duo æterna, quod absurdum. Rationum, quæ pro contraria sententia ab Aristotele afferuntur, unam atq; alteram ad veritatis trutinam appendemus. Prima esto: *Motus est æternus. E. & mundus, Anteced. prob. quia subjectum quod mobile est & prius motu vel est sempiternum vel aliquando generatum. Si fuit sempiternum nec sine motu fuit, si generatum datur motus prior primo subjecto cum nulla generatio sit sine motu: Respondetur quod sit insufficientis partium enumeratio. Datur enim tertium inter sempiternum & generatum, quod nimirum productum est à Deo per creationem sine motu. 2. sit Quod est ingenerabile & incorruptibile illud est æternum. Tale est cœlum l. 1. de cœlo t. 10. E. erit æternum Et per consequens mundus quoq; æternus est. Resp. Major de generatione & corruptione physica & proprie ita dicta tantum intelligenda est. Licet igitur cœlum physicè non generetur aut corrumpatur, virtute tamen divina id fieri potest. 3. Purus actus semper operatur: Deus autem est purus actus. E. semper operatur & per consequens si mundum condidit, ab æterno illum condidit. R. Major vera est de actionibus humanis non de actionibus Dei. Deus enim quæ voluit fecit. Voluit autem res in tempore existere non ab æterno. Non igitur in Deo mutatio sed in rebus quæ jam actu sunt, facta est. Hic subsistimus nam rationes omnes adferre & examinare nimis longum foret. Plura qui desiderat legat D. D. Conimb. l. 8. Phys. c. 2. q. 3. Perer. l. ult. phys. gen. de Motu & Mundi æternitate. Zanchium de Oper. sex. dier. lib. 1. c. 3. p. mibi 35. & seqq.*

QUÆ

QUÆSTIO VII.

An mundus sit in loco & num Deus sit locus mundi?

Locus est τὸ πᾶσι χῶρι & πᾶσι, h. e. terminus continentis corporis. Phys. c. 4. § 41. Quare cum extra mundum non detur aliquod corpus continens distinctum à loco, cujus superficie vel termino ambiretur, nec mundum in loco esse concludetur. *Tim- plerus ineptiarum scriptor* c. 3. phys. gn. contrarium defendere conatur duabus rationibus à finitate & quantitate mundi desumptis. 1. est. *Mundus est finitus, E. in loco est, quod enim longum latum profundum est, in loco est.* 2. *Quod in nullo loco est neq; Dei creatura est neq; finitam essentiam & quantitatem habet.* Argumenta hæc quod attinet facile solvi possunt. Quæ enim in primo de finitate afferuntur non sufficiunt, ut corpus actu sit in loco, cum adhuc requiratur corpus aliquod locans. Secundum novitate & absurditate non caret. Distinguendum enim est inter τὸ πᾶσι & τὸ πῶς. Omne Ens requirit quidem certum aliquod πᾶσι sive esse alicubi: hinc autem idem in loco esse debere non evincitur. Pergit *Demens Timplerus* & locum mundi, quia alium nominare non potest, Deum statuit. Impium. Nam loci proprium est esse extra locatum, Quis autem Deum, qui ubiq; præsens, extra mundum esse affirmabit. Accedit quod locus locato sit æqualis quod de Deo & mundo dici non potest. Ille infinitus hic finitus. Longè igitur alio modo Deus omnia continet nimirum, tanquam potentissimus omnium rerum conditarum gubernator ac conservator.

QUÆSTIO IIX.

An Mundus sit unus?

Placita Philosophorum de Mundi unitate varia fuerunt. Quidam existimarunt plures mundos esse sed finitos ut *Manichæi*. Alij subinde alios mundos nasci & innumerabiles ex atomorum concursu existere statuerunt ut *Democritus* & *Epicurus*.

B 2

Unum

Unum mundum dixerunt *Thales Pythagoras, Plato, Aristoteles & alij.*
 Rationes autem quibus unitas mundi probari possit, *Plato* tres af-
 fert 1. Quia est perfectus & omnia continet, quod non fieret si u-
 nus non esset. 2. Quia alias suo Archetypo & intelligibili exem-
 plari similis non esset. 3. In æternum non esset duraturus. *Aristote-
 les* plures mundos esse absurdum statuit. 1. Propter primum mo-
 torem qui tantum unus. 2. Quia unus tantum motus sempiternus
 & circularis. 3. Propter materiam quæ ad mundi constitutionem
 requiritur, quæ una & in unam massam coacta continet in se o-
 mnia corpora simplicia. Quanquam verò hæc physica rationes ad-
 eo firmæ non sint quod præter alios, monstrat *Plutarchus in libr. de
 defectu oracul. & Ioan. Fr. Picus Mirand.* in exam. vanit. doct. gent. l. 6.
 c. 9. ut ijs apodicticè unitas mundi demonstrari possit, præ omni-
 bus tamen hæc ultima sententia approbanda. Consentanea enim
 illis est, quæ in sacris de mundi unitate extant. Lege quæ tradita
 sunt in libro *Genes.* & nihil aliud invenies quàm mundum
 hunc solum & unum à Deo creatum esse. *Paulus Act. 17.* palam
 docet, Deum ex uno omne genus hominum fecisse. Ad idem con-
 firmandum à *D. Thoma* 1. par. quæst. 47. locus *Joh. 1.* afferunt: :
 Mundus per ipsum factus. Ubi dum mundus in singulari dicitur,
 ejus unitas affirmatur. Quæ pro pluralitate mundi afferuntur,
 tanta non sunt ut ijs cedamus. Nam quod *Metrodorus* absurdum
 esse statuerit in magno campo unam spicam nasci, & in infinito
 unum mundum, eadem facilitate quæ dicitur, quia omni ratione
 caret, à nobis rejicitur. *Democriti & Epicuri* sententia similiter
 absurda & sine fundamento est. Conclusum igitur esto Mundum
 unum esse nec plures dari; posse tamen Deum per potentiam su-
 am absolutam plures condere mundos, non negamus, cum ejus
 manus non sint decurratæ. Deniq; unus dicitur hic mundus non
 unione formæ informantis, sicut neq; unione materiæ sed 1. unione primi
 principij efficientis & finis 2. ordine, *συμμετρία, ἕξις ἀναλογίας* partium
 quibus constat, quæ omnes ad commune bonum totius universi
 conspirant. *Coll. Conimb. 1. de cælo c. 8. art. 3.*

QUÆSTIO IX.

An Mundus sit rotundus?

Fi-

Figuram mundi rotundam & sphericam esse sequentia probant argumenta. 1. Quia partes ejus integrales ut cœlum & Elementa figuram sphericam habere videntur, E. & mundus erit ejusmodi. 2. Sphærica figura est omnium perfectissima, capacissima, nobilissima, teste Euclide, quæ nimirum omnes figuras in se comprehendit. Talis autem figura non nisi nobilissimo capacissimo perfectissimo competit corpori, ut est mundus omnia ambitu suo continens. 3. Quia nihil vacui in tota ejus circumferentia & structura reperitur, quod fieret, si superficiem planam angularem aut quadratam haberet. Mundus igitur rotundus erit. Et licet secundum experientiam visualem & ratione nostri planæ figuræ esse videatur, in se tamen cum exactius consideratur sphericæ & globosæ figuræ esse deprehenditur. Nec refert, quod valles & montes reperiantur; cum ad universam collati rotunditatem minimè impediunt, ad terram verò nullam putantur habere sensibilem quantitatem. Neq; contrarij nobis sunt loca Scripturæ *Esa. 48. & Ps. 103. quod Deus extendat cœlum sicut tabernaculum & sicut tentoria*; cum conteratur ibi cœlum cum tabernaculo non ratione figuræ, sed expansionis & productionis.

QUÆSTIO X.

Quando & quomodo mundus sit interiturus?

Vulgare aq̄d Metaphysicos axioma est: *Omne Ens quod ab alio est per se corruptibile est* *Scal. ex 61. s. 5.* Causam enim, ut idem inquit, essendi à se non habet, quæ e etiam è sua natura potest non esse. At hoc est principium commune omnium rerum contrarietatis. Mundus igitur per se corruptibilis est & aliquando interibit. Diem & horam mundi interitus nemo definire potest, ut Christus inquit, *Marc. 1, v. 31. Cœlum & terra peribunt, verba autem mea non transibunt. De die autem illâ vel hora nemo scit neq; Angelî neq; Filius nisi pater.* Quæ propter omnes illas varidicas computationes, quæ vel à literis Arithmeticis vel varijs & diversis numeris petuntur, & non tam ingenij sobrij quàm curiositatis inutilis signum sunt, meritò autoribus suis relinquimus. Quisq; videat, qui curiose indagat ut illud certè sciat, ne se ipsum fallat &

Dominū sentet, ac memor sit illius Paulini: *Μὴ ὑψιλοφροεῖν ἀλλὰ φροεῖν εἰς τὸ σφροεῖν*. An interitus Mundi φροεῖν, an ἀλλοτρώσθαι sit definiendus, i. e. an mundus ratione qualitatum in melius sit commutandus, ut perpetuò duret, an veto ἁπλῶς sc. substantiæ suæ ratione in nihilum sit transiurus, adhuc in controversia est & variant de utroq; ζητημέω tum Philosophi saniores tum Theologi. Nos secuti præceptores nostros Theologos (Hunn. in cap. 8. Epist. ad Rom.) totius mundi non κατ' ποιότητας sed κατ' ἁπλῶς statuimus corruptionem. Probatur hoc ex discrimine alterationis & interitus: Illa accidentia qualitates videlicet respicit, hæc vero substantiam. Mundum autem interire sequentia demonstrant S. Scripturæ dicta. I. Job. 14, v. 12. *Homo cum dormierit non resurget donec non amplius fuerint cæli seu usq; dum non erunt cæli.*

Hic totalem intelligi mutationem inde colligitur, quod τὸ Ἔσθαι Cælorum in substantia non qualitatibus consistat, ideoque NON ESSE substantiæ abolitionem significet. Quid Timplerus? Hic, ut semper, textum mutilare non erubescit. Cæli visibiles, inquit, non amplius erunt secundum quid 1. secundum pristinam formam accidentalem. Verum committit petitionem principij cum NON ESSE substantiæ corruptionem non accidentiū noter.

II. Ps. 102, v. 27. *Opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt. Tu autem permanes.* Excipit Timplerus, locum illum posse intelligi aut proprie de cælis, ut sensus sit cælos non semper eandem figuram aut formam retenturos, aut improprie de rebus cæli complexu contentis, omnes nimirum creaturas suo tempore esse interituras. Dicuntur hæc, non probantur. Probandum enim erat *Perire* non significare Essentialem sed tantum accidentalem mutationem, siquidem, *Permanere* & *perire* sibi invicem directe opponuntur.

III. Matth. 24, v. 35. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Respondet Timplerus hæc verba aut comparatè esse intelligenda, cælum & terram nimirum citius esse transitura quàm verbum Dei, aut de mutatione mundi accidentaria. Resp. 1. Sine ratione absolutum mutatur in respectivum 2. τὸ *Transire* nunquam accidentalem sed semper totalem notat interitum. Hæc sunt quæ pro totius mūdi κατ' ἁπλῶς interitū adducere voluimus, cætera tam pro confirmandâ quàm contrariâ sententiâ qui expetit,

videat Clariss. D. Meisner. part. 1. Philos. Sobr. Timpler. in Phys. gen.
q. 11. c. 3.

QUAESTIO XI.

*An mundo secundum naturam datur
vacuum?*

Vetus hzc est quaestio & in Aristotelis scholâ diu multum-
que exagitata, ad quam negando respondemus. Natura enim ut
tale quid concedat, varijs utitur medijs. Ac primò quidem corpora
gravia sursum, levia deorsum vergi concedit. Si enim in aquam immittas
fistulam & aerem intus contentum fortiter attrahas, ita ut
nullus alius aer succedere possit, mox videbis aquam sursum ferri
propter vacui fugam. Et si quispiam foveam fodit profundissi-
mam satis, statim in terræ ejectæ locum descendit aer, corpus le-
ve deorsum. Secundus modus, est Quies corporis, quod inclinatione & pro-
pensione suâ moveri debebat, ut si quis latera follium obstructo orifi-
cio velit diducere, frustra laborat, quia natura vult ista corpora
seie continere & quiescere, ne detur vacuum. Tertius modus, est at-
tractio violenti corporis alterius, ut videmus in cucurbitulis, quibus u-
rimur ad scarificationem. Nam quando in ijs aer admotâ face
incaluit, atq; ita rarior fit, statim ubi ad cutem & ad parietes cu-
curbitularum alliditur, iterum frigescit & condensatur, ita ut mi-
nus spacium occupet, atq; adeò necesse sit dari vacuum, nisi natu-
ra vacuum evitans, sanguinem ex cute pertusâ attraheret sursum,
atq; vacuum suppleret. Quartus modus est ruptura ut si vas plenum a-
quâ calidâ firmiter occlusum sub cælo frigido collocetur, aquâ
congelascente atq; minus spacium occupante rumpitur vas, ob
eandem vacui declinationem. Postremus deniq; modus est rare-

*factio & condensatio. Plura qui volet, adeat Timplerum
in Phys. Gener. p. 54.*

CO

PROBLEMATATA.

I.

*Temerarium est, certum annum quo mundus sit
interiturus, velle definire.*

II.

*Errat gravissimè, Gregorius de Valentia Jesuita
Ingolstadiensis, quando Paradisum adhuc
superstitem esse, contendit, Tom. 1. Disp. 7.
quæst. 6. puncto 2.*

III.

*Rudis illa est indigesta moles, non fuit materia pri-
ma, quâ de Philosophi saniores disputant.*

MUNDI AUTHORI HALLELUIA.



05 A 1342

ULB Halle 3
003 781 259




Sb-TA

UOM







7. 7. 12
DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM
Exercitatio I.

De
MUNDO,

Quam
DEO JUVANTE
PRÆSIDE

M. HIERONIMO VVEIXELBERGERO
VVelfensi Austriaco, Amplissimæ Facultat.
Philosophicæ in Electorali VVitteb.
Academia Adjuncto

Examinandam proponit ad d.
4. Decembr.

DANIEL VVASSERFHURER
Stetin. Pomeranus.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVI.